

auxilium petierint et apud sequestres idoneos illam deponi pecuniam voluerint, ne frustrarentur ea spe, quam reo paciscente praesumserant. Et has ergo sententias, quae videbantur Clodio aliquid honestatis adquirere, in vituperationem convertit, ut pars iudicium damnarit incestum,⁵ pars vero privatum lucrum praeposuerit religioni. Et hic subest . . . postulasse iudices ab senatu praesidium, non ut fortiter et libere iudicarent, sed ne illam sibi pecuniam reus absolutus eriperet.

Frgm.
XXVIII Divortium pontificis maximi.

Praetexuntur argumenta, quibus incestum P. Clodii potuerit facillime probari, nisi pecunia intercessisset. Nam C. Caesar pontifex diebus illis repudiarat uxorem; feminae quoque, quae illi sacrificio interfuerant, de interventu virili testimonium dixerant; servi etiam, cum peterentur 15 in quaestionem, alienati fuerant et in diversas provincias ab domino missi: quinque etenim servi, in quos maxime suspicio congruebat, partim missi sunt ad Appium Claudium, qui frater eiusdem fuerat et in Graecia tunc agebat, partim ad vilicum Diogenem nomine, qui trans 20 Alpis morabatur. Nec non etiam ancillae in tormenta sunt postulatae, quae propiores ministerio fuerant Pompeiae, uxoris Caesaris. Quarum fuit e numero Habra quaedam nomine, cuius in cellam P. Clodius confugisse arguebatur. De stupro autem scelerato quod ait, illud 25 videtur incestum significare, cuius infamia circa sororem Clodiā per volgabatur.

Frgm.
XXIX Quattuor tibi sententias solas ad perniciem defuisse.

Ne quam habeat Clodius absolutus innocentiae dignitatem, facta comparatione numeri ostendit prope eandem portionem fuisse, quae damnarit incestum, nec illi inte-